

sam sponsalia dissolvendi. Castro Palao, loc. cit., num. 4, citans Seraphinum, *Decis.* 1238, n. 1 et 2; Pontius, lib. XII, cap. xvii, num. 8 et alii. Ratio est, quia non tantum præsens malum, sed etiam prudens, ac in virum constantem cadens timor futuri ac imminentis mali causat notabilem rerum mutationem, arg. c. *Requisivit*, 17, h. t., consequenter sufficiens est ad resiliendum per dicta num. 255. Præsertim cum hodie in contrahendis matrimoniis summe respiciatur non tantum ad bona præsentia, sed etiam certo, aut probabilissime obventura, ita ut sæpe alteruter sponsorum neutiquam contraheret, nisi spem prudentem futura bona acquirendi a comparte haberet. Verum de hoc amplius infra, num. 70 et seqq. ubi de contradictione parentum, ac consanguineorum, minisque eorum de exhæredando specialiter dicemus.

265. *Etiam ob notabilem mutationem animi, v. g. supervenientem infamiam solvuntur sponsalia.* — Resp. V. Etiam ob notabilem mutationem animi, seu animorum juste solvuntur sponsalia ex parte alterius. Omnes teste Palao, loc. cit., num. 27, num. 7. Ratio est, quia bona animi præferuntur bonis corporis, per vulgaria: ergo si ob horum mutationem licet resiliere, etiam ob illorum licebit: argumento a minori ad maius desumpto conformiter auct. multo magis. c. *de SS. Eccles.* Patet etiam inductione. Sic enim I. ex parte innocentis solvantur sponsalia, si aliqui ex sponsis emergat gravis infamia, ob furtum, homicidium, adulterium, aut alterius criminis gravis, Sanchez, lib. I, disp. 37, num. 2; Palao, loc. cit.; Bosco, in *Theolog. Sacram.* part. V, disp. 11, sect. 2, concl. 10, num. 153, cum communi. II. Si sponsus cognoscatur esse ebrietas, aut lusui multum deditus, Castro Palao, loc. cit.; Sporer, loc. cit., num. 280; Gobath, tract. X, casu 8, num. 337.

266. *Idem ob morum asperitatem.* — IV. Si in eodem deprehendatur notabilis morum asperitas, aut sævitia. Gutierrez, *de Sponsal. et Matrim.*, cap. xxxii, numer. 1; Sanchez, loc. cit., disp. 58, num. 1; Bosco, loc. cit.; Abbas, in c. *Veniens. Qui clerici, vel voventes*, num. 2. Palao, loc. cit., cum communi et certo: ubi etiam specialis ratio est; quia ob hanc causam conceditur matrimonii divortium, c. *Ad litteras, de Restitut. spoliat.* ergo multo magis dissolutio sponsalium, arg. c. *Quemadmodum de Iurejur.* quia

« turpiter ejicitur, quam non admittitur hospes, » ut ibidem dicitur. Nec obstat c. *Veniens*, 5. *Qui clerici vel voventes*, ubi mulier recusans sponso nubere ex eo, quod plura audiverit de severitate illius, dicitur violare votum, et jubetur puniri. Resp. enim cum Glossa ibidem communiter recepta: illius fœminæ timorem fuisse vanum ac inanem, nec fuisse viri severitatem probatam.

267. *Necnon ob inimicitias, aut discordias, odia, aut scandala, inter ipsos sponso.* — V. Si capitales ac graves inimicitias, odia, et extraordinariæ animorum aversiones inter ipsos oriantur sponso. Gutierrez, loc. cit., num. 2; Sanchez, loc. cit., num. 3; Navarrus, cap. xxii, num. 27, casu 11; Palao, loc. cit., num. 7; Sylvester, *ÿ. Sponsalia*, q. 10, casu 8; Gobath, tract. X, casu 8, num. 33; Diana, part. XI, tract. II, resolut. 70, cum communi ob rationem specialem, c. II, et c. *Requisivit*, 17, h. t. ne videlicet alias ex matrimonio infelices sequantur exitus, continua aut frequentia jurgia, lite, scandala, etc. Facit huc decisio sanctæ congregationis apud Dianam, et Gobath, loc. cit., dicens, « quod, si unus sponsorum ita incipiat abhorre ab altero, ut serio dicat, se malle quidvis pati, quam huic conjungi a coactione iudex desistere debeat. » Attendere tamen iudex debet, ne interveniat simulatio, quæ in hoc puncto persæpe contingit, quamvis sine peccato mortali eam facere nunquam possint sponsi, nec eam absque peccato gravi suadere valeant advocati, multo minus confessarii, eo quod sponsalia sub gravi culpa obligent, nisi legitima resiliendi habeatur causa per dicta supra num. 137.

268. *Aut eorum consanguineos timenda.* — VI. Solvuntur sponsalia ob graves aut capitales inimicitias, odia, aut scandala inter parentes, aut consanguineos sponsorum. Sanchez, loc. cit. disp. 14, n. 3; Castro Palao, loc. cit.; Layman, lib. V, tract. X, p. I, cap. II, n. 18; Felinus, consil. 26, n. 21; Navarrus, cap. xvi, n. 18, cum communi arg. c. *Cum in tua*, h. t. ibi: « De fama vel scandalo. » Monet tamen merito Sanchez, Castro Palao, et alii loc. cit. iudices, et confessarios, ut caute procedant, et non facile vel statim credant, eo quod ad declinandum matrimonium promissum sæpe fiant falsæ simulationes, jactantis: nisi, quando opponantur discordiarum, atque scandalorum pericula, quæ tamen experientia testat,

quando deferuit primus impetus, et matrimonium fuit celebratum, in nihilum recidunt, animique facile reconciliantur atque sedatur tempestas; præsertim, si ipsi conjuges ad invicem sicut bene concordent. Et certe raro contingit, quod ob matrimonium contractum, inter parentes et consanguineos sponsorum tantæ inimicitias, vel scandalorum aut discordiarum pericula immineant, quæ ad dissolvenda sponsalia sufficiant, ut proin (excepto notabili disparitate status, de quo infra n. 272, et seqq.) iudex rarissime, et non nisi bene consideratis circumstantiis, causaque vere cognita ex hoc capite pro sponsaliorum dissolutione judicare debeat; cum ordinariè pericula, ut allegantur, non subsistant, nec quodvis scandali, aut discordiarum periculum sufficiat, consequenter plerumque pars altera certo jure suo privari non debeat, arg. c. *In pari*, 65, de *Reg. jur.* in 6.

VII. Solvi subinde possunt sponsalia ob constantem ac justam contradictionem conjunctam gravibus minis, præsertim de exhæredando. Verum de hoc specialiter statim infra n. 270, et seqq.

269. *Horum omnium ratio.* — Cæterum ratio universalis et ulterior omnium harum sponsalia dissolvendi causarum est illa, quam dedimus, et ex jure probavimus n. 235, et n. seqq. Cui accedit, quod, si ob allegatas resiliere non liceret, ordinariè grave nimis ac durum foret parti innocenti tale matrimonium inire, ac plerumque infelices sequerentur exitus, ob quos vitandos, sponsaliorum dissolutio conceditur, c. 2, et c. *Requisivit*, 17, h. t.

270. *Sola contradictio parentum non est sufficiens causa solvendi sponsalia.* — Quæritur III. An, et quando constans contradictio parentum, vel consanguineorum, vel aliorum, a quibus unus sponsorum multum dependet, una cum gravibus minis, præsertim de exhæredando, totaliter derelinquendo, officio privando, aut negando, etc. sufficientem causam præbeant ad solvenda sponsalia? Placuit hanc causam per speciale quæsitum specialiter examinare; quia in praxi frequentissime occurrit, et nisi bene, consideratis considerandis a iudice examinetur, facile ansam præbere potest, graviter præjudicandi partibus. Resp. I. Absolute, ac simpliciter loquendo, sola contradictio parentum aut aliorum non præbet sufficientem causam dissolvendi sponsalia,

etiam absque eorum præscitu et consensu inita. Hæc conclusio hodie communis est, et certa praxi tribunalium ecclesiasticorum, atque consuetudine, quæ est optima legum interpretis c. *Cum dilectus*, 8, de *Consuetud.* et l. 37, ff. de *Legib.* comprobata. Patetque ex dictis supra n. 23, et seqq. ubi diximus, et probavimus, valere sponsalia etiam absque consilio, præscitu, et consensu parentum inita: consequenter etiam non obstante horum dissensu obligare; cum parentes solo suo dissensu facere, ac impedire non possint, quod proles eorum liberentur ab illo, ad quod sub peccato mortali tenentur; prout tenentur ad sponsalia valide contracta, ut cum aliis bene advertit Layman, lib. V, tract. X, p. I, cap. I, n. 14.

271. *Solvitur instantia. Multa fieri prohibentur quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem.* — Nec obstat, quod regulariter loquendo teneantur saltem ante sponsalia petere consilium parentum, sicut absque præscitu eorum spondendo peccent, et sponsalia illicita contrahant. Nam contra est, quod multa illicite fiunt, facta tamen valeant; siquidem « multa veri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, indeque licite observari possunt et debent, » ut cum aliis bene advertit Layman, loc. cit. patetque in matrimonio illicito contracto, et aliis. Accedit, facile contingere posse, quod parentes injuste contradicant; ergo absolute loquendo sola contradictio parentum ad solvenda sponsalia non sufficit. Hinc resp. II. Licet sponsi sine præscitu parentum sponsalia contrahentes ordinariè peccent juxta dicta n. 24, tamen, si sunt inter se æquales, vel saltem non multum dispares, sponsalia valent et obligant, debentque executioni mandari, non obstante contradictione parentum; imo peccant parentes conando impedire tale matrimonium. Gutierrez, loc. cit. n. 29; Layman, loc. cit. n. 14, § *Quamvis*. et alii. Patet conclusio tum ex n. præced., tum ex eo, quod, licet promissio modo illicito, insciis nempe parentibus et inconsultis, sit facta, sicutque illicita existat, utpote peccaminosa ac illicita, tamen quia est de actu licito, et, quia consideratis etiam circumstantiis licite fieri potest; valet et obligat; consequenter parentes peccant impediendo liberos ab eo, ad quod sub peccato tenentur.

272. *Matrimonium cedens in dedecus familie, ac gravem injuriam parentum, contradic-*



*tionem parentum dissolvi potest. Promissio mala, seu mali non obligat.* — Resp. III. Si futurum inter sponsos matrimonium vergit in opprobrium parentum, ac dedecus familiæ, parentesque exinde multum indignentur, offendantur, contristentur, etc., uti ordinarie contingit in casu notabilis disparitatis sponzorum, tunc contradictio parentum non tantum juste fieri potest, sed etiam facta sufficientem præbet causam dissolvendi sponsalia: imo in tali casu sponsalia ex se censentur nulla ac invalida. Guttierrez, lib. I, *Can. quæst.* cap. xx; Layman, lib. V, tract. X, p. I, cap. I, n. 14, § *Enimvero*; Menochius, consil. 69; Sporer, in *Theolog. Sacram.* p. IV, cap. I, sect. 2, n. 203; Gobath, tract. X, casu 3, n. 105 et 106. Ratio est, quia in tali casu matrimonium esset contra pietatem et charitatem parentibus et consanguineis debitam; imo etiam contra justitiam, utpote in præjudicium aliorum inique vergens, consequenter illicitum, atqui ad matrimonium illicite, seu cum peccato contrahendum nemo potest obligari: Nam in malis promissis fidem non expedit servari, c. *In malis*, 69, de *Reg. jur.* in 6. « Impia enim est promissio, quæ scelere completur, » ut dicitur can. *In malis*, 5, cau. 22, q. 4, unde ibidem dicitur: « In malis promissis rescinde fidem. » Concordat l. *Juris gentium*, § *Generaliter*, ff. de *Pactis*, et l. *Generaliter*, 26, ff. de *Verb. obligat.* ibi: « Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. »

Quod autem sit contra pietatem et charitatem, quin et contra justitiam alicui indigno, aut indignæ cum probro, ac dedecore parentum nubere, patet ex l. un. c. *de Rapt. virg.* Et ratio est, quia parentibus et propinquis probum, ac dedecus inique inferre, eosque graviter ac injuste offendere, et contristari contra charitatem ac pietatem eis debitam est, per ea, quæ theologo communiter de quarto præcepto decalogi scribunt. Imo quia etiam in eorumdem detrimentum vergit, cum exinde familia maculam contrahat, minus æstimetur, et ab aliis horreatur, etiam injuriosum, et consequenter contra justitiam est.

273. *Matrimonium cum notabiliter inæquali ordinarie infelices sortitur exitus, indeque ejus promissio ordinarie solvi potest.* — Infertur I. cum præfatis doctoribus, ordinarie loquendo in casu, quo sponsalia fiunt cum indigna parte, aut magna vel notabili cum dispari-

tate, ut si quis de nobili stemmate matrimonium promittit puellæ plebeïæ, aut e contra, sponsalia aut nulla esse, aut contradictionem parentum vel consanguineorum sufficientem præbere causam eadem dissolvendi, ob jura et rationes allegatas. Quibus accedit, quod cum sponsalia inter notabiliter inæquales, aut cum indigna ordinarie proveniant ex lascivo amore, qui utpote cæcus prævidere non permittit sequentia inde plurima mala, ordinarie etiam infelicem exitum in matrimonio habeant, subsequentibus plerumque continuis dissidiis, litibus, jurgiis ac scandalis inter ipsosmet, qui cæco amore seducti matrimonium inæquale contraxerunt, quod ipsum ad dissolvenda sponsalia jam sufficientem causam præbet, arg. c. *Requisivit*, h. t. et per dicta supra n. 267. Postquam enim amor ille ardens et cæcus post immodicam libidinem in matrimonio brevi tempore deseruit, incipit notabiliter dignior tunc primum serena mente clare videre stultitiam, quam commisit, præjudiciumque, ac probum, quod sibi et aliis intulit, indeque amor vertitur in odium et aversionem ita ut etiam incipiat compartem contemnere, vilipendere, aversari, indignari, suum et compartis seclis detestari, secutumque inde effectum matrimonii maledicere; et majori odio habere, quam prius amor erat.

274. Et hoc plurimis confirmari posset exemplis tam sacris quam profanis: sufficiat exemplum Amnonis, qui, licet ingenti æstu amoris libidinosi deperisset Thamar sororem, tamen postquam « concubuit cum ea, exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo eam dilexit, » lib. II, *Reg.* cap. XIII, v. 15. Sic etiam Joanna II, regina Neapolitana, licet ingenti amoris libidinosi æstu deperiret Joannem Carazalum Rofeum ignobili genere ortum, eumque in matrimonium duoceret, tamen ob conditionis imparitatem eum brevi contemnere, et tanto odio habere cepit, ut illum etiam trucidari jussit, prout loc. cit. refert Menochius. Plura de disparitate matrimonii vide apud Tirac. de *Legib. connubii*, leg. 5. Huc quadrat etiam illud Ovidii.

• Si qua voles apte nubere, nabe pari. •

275. *Episcopus (ordinarie loquendo) non potest dispensare in denuntiationibus cum notabiliter inæqualibus.* — Infertur II, cum

Guttierrez, loc. cit. n. 10 et 23; Menoch. loc. cit. et alius, in casu, quo nobiles cum ignobilibus, aut alias notabiliter dispares insciis, aut invitis parentibus sponsalia faciunt, episcopos non debere, imo nec licite posse gratificare sponsis dum remissionem ob disparitatem in denuntiationibus petunt, illam ordinarie allegando causam, quod parentes ex denuntiationibus in notitiam venientes sint injuste impedituri matrimonium, ac libertatem status de jure eis debitam impedituri. Cum enim parentes in tali casu juste impedire ac contradicere valeant, ordinarius omitendo denuntiationes, hoc jure eos non privare, sed potius eodem pro libite utendi liberam facultatem habeant denuntiationes præfatas fieri curare debet; præsertim, cum ipsis liberis exinde nulla irrogetur injuria, utpote qui in parentibus obtemperare, et tale matrimonium omitere tenentur, nec ab alio (ut supponitur) sibi magis conducente matrimonio impediuntur. Quam imo notant citati doctores, quod reverendissimi ordinarii etiam prohibere tenentur, ne quis ex parochis assistat matrimonio, casu quo parentes graviter contrarios agnoscit. Ratio est, quia concedere nequit, quod matrimonium illicite, ac cum peccato contrahatur, uti sic fieret, juxta dictum 272. Plura vide apud Guttierrez, loc. cit.

Has tamen doctrinas a n. 272, limita conformiter doctrinæ n. 123, positæ.

276. *Bene vero potest, imo tenetur dispensare, si parentes contradicunt, aut injuste impedire conantur matrimonium inter æquales, aut non multum inæquales.* — Infertur e contra III. Posse, imo debere reverendissimo ordinario in denuntiationibus dispensare, quando contradicunt parentes, et varie impedire conantur, aut minantur, sponsalia etiam insciis, ac invitis parentibus inter æquales tamen, vel saltem non multum, nec notabiliter inæquales contracta, eo quod, licet tales insciis, ac inconsultis parentibus contrahendo sponsalia ordinarie peccent, juxta dicta n. 24, tamen post ea jam contracta ad eadem servanda graviter obligentur, juxta dicta n. 27, ita, ut tam ipsi non observando, quam parentes impediendo gravia committerent peccata, quæ, si per dispensationem in denuntiationibus evitare videret ordinarius, utique dispensare potest, et tenetur, præsertim si etiam videt periculum esse, ne sponsalibus, de futuro matri-

monio palam factis, parentes, consanguinei, aut alii uni ex sponsis mortem, aut aliud grave malum inferant, quæ pericula plerumque illico evanescent, si matrimonio jam contracto parentes et alii vident, rem jam esse factam, nec ullum amplius contra eam esse remedium.

277. *Contradictio parentum, consanguineorum, aut aliorum conjuncta minis de exhæreditando, privando officiis, etc., dat facultatem resiliendi: et cui?* — Resp. IV. Si contradictio parentum aut consanguineorum (a quibus certo speratur notabilis hæreditas) conjuncta est cum seriis et justis minis ex toto exhæreditandi aliquem sponzorum, si huic, cum quo sponsalia contraxit, nubat, habet pars altera justam causam dissolvendi sponsalia, casu quo alias hæreditas notabilis esset speranda. Hanc conclusionem tenent omnes n. 264, citati. Probaturque fundamentis ibidem positis. Et hic solum notanda verba « cum seriis ac justis minis; » quia, si probabiliter constat, minus non serio, sed tantum ad terrendum intentatas esse, utique sufficientes ad solvenda sponsalia non sunt: sicut, nec, si seriæ quidem, sed non justæ existunt; prout forent, si parentes minarentur exhæreditare prolem, si cum altero æquali, vel saltem notabiliter inæquali, post sponsalia jam contracta matrimonium, ad quod juxta dicta n. 271, jam tenetur, contrahat, hoc ipso enim, quod minæ in tali casu sint injustæ, inefficaces existant, consequenter timendæ non sunt, cum ex eo, quod quis invitis parentibus nubat alicui digno, et æquali, aut saltem notabiliter non inæquali, de jure nulla proles ex toto exhæreditari possit, per dicta lib. III, § 15, a. n. 499.

278. Aliud foret, si minæ exhæreditandi provenirent a consanguineis; cum enim horum hæres necessarius sponsus consanguineus lateralis non existat, consequenter absque omni causa exhæreditari valeat, per dicta lib. III. ut. XXVI, de *Testam.* § 13, de *Hæredibus*, etiam in tali casu minæ eorum merito timendæ forent, et consequenter sufficientem resiliendi causam alteri parti præberent per dicta n. 264. Et itidem ob paritatem rationis dic, si alii minantur privationem officii jam habiti, aut negant aliquod conferre, quod alias conferrent, si huic non nuberet, cum tamen pars altera ob possessionem et spem talis officii sponsalia contraxerit, non contracturus cum illo, si sci-



visset, quod tale officium comparis amitteret, vel non acquireret.

279. *Minæ de exhæreditando usque ad legitimam, aut negandi omne auxilium, vel dotem usque ad mortem, præbent alteri parti causam resiliendi.* — Resp. V. Etiam si parentes solum minentur, vel efficaciter minari possint exhæredem facere prolem usque ad legitimam, si huic etiam digno et æquali, aut non multum dispari nubat, habet pars altera justam resiliendi causam, si ex tali exhæreditione notabilem jacturam pateretur comparis. Hanc conclusionem ex consequenti docere tenentur omnes, qui tenent, sponsum resiliere posse a sponsa, si hæc salva dote promissa, ac debita patiatur damnum notabile in bonis, quæ pro dote non promissit. Et sunt Sanchez, lib. I, disp. 59, n. 4; Castro Palao, *de Sponsal.* disp. 1, punc. 28, n. 3; Abbas, in c. *Quemadmodum*. 10, *de Jurejur.*; Navarr. cap. xxii, n. 27; Sylvester, *ÿ. Sponsalia*. q. 10, casu 9; Gutierrez, cap. xxxiii, n. 4 et alii, ob rationem jam sæpe allegatam; quia privatio spei certæ circa bonum notabile, etsi de jure non debitum, intuitu cujus sponsalia contrahi prudenter præsumuntur, facit notabilem mutationem; consequenter sufficienter præbet resiliendi causam per dicta n. 264.

280. Idem ob juris et rationis paritatem dic, si parentes serio et juste minantur, nec dotem, nec aliud quidpiam dare proli, casu quo huic nubat, supposito, quod alias dos, aut alia a parentibus proli nubenti tradenda essent quid notabile; quia si modicum foret, utique curandum et attendendum non esset, hoc ipso, quod notabilem mutationem non causet.

281. *Nisi tempore contractus hæc jam prævidisset, aut scivisset.* — Verum conclusiones, et inde sequentem doctrinam a n. 277. positas limita in casu, quo alter hæc omnia prævidit, aut præscivit, præsertim si tempore contractus sponsaliti expressit, « etiam si parentes, aut consanguinei tui nihil tibi dent, vel te exhæreditent, aut si non acquiras hoc officium, aut illo privaris etc., tamen te accipiam. » Ratio patet, quia tunc non censetur adesse mutatio, ob quam, si eam prævidisset, sponsalia contracta non fuissent; consequenter nulla subest resiliendi causa.

Cæterum præfatas conclusiones, et inde deductas doctrinas a n. 277, positas intellige de causa dissolvendi competente parti alteri

minas non patienti. Jam sequuntur conclusiones de ipso, vel alio, cui a parentibus intentantur minæ exhæreditandi, aut aliud grave malum inferendi, et resolvitur, an huic quoque exinde enascatur jus et causa dissolvendi sponsalia contracta. Estque differentia conclusionum harum bene notanda illis, qui ex minis uni intentatis, promiscue pro utraque parte minus recte desumunt justam causam solvendi sponsalia.

282. *Pars illa sponsorum, quæ minas de exhæreditando, aliove gravi malo patitur, non potest resiliere, si ei nihilominus nubere velit, comparis.* — Resp. itaque VI. Pars illa sponsorum, cui minæ etiam gravissimæ v. g. ex toto, vel ex parte exhæreditandi in quantitate notabili, vel privandi pingui officio, aut illud denegandi, aut aliud grave malum fortunæ inferendi, non habet pro se justam causam solvendi sponsalia, si comparis non obstantibus talibus minis eam ducere, illamque statui conformiter sustentare vult et potest, vel si pars minas patiens aliunde media adhuc habet, quæ concurrentibus mediis, et auxilio compartis ad vivendum juxta statum sufficiunt. Hanc conclusionem etsi expressam apud doctores non inveniam, tamen ex communi eorum doctrina evidenter ita probo. Juxta communissimam doctrinam mutatio notabilis ex parte unius post sponsalia emergens non præbet utrique parti justam causam resiliendi juxta dicta supra arg. c. *Quemadmodum*. 25, *de Jurejur.* ubi non utrique sponso, sed illi tantum ob supervenientem mutationem datur facultas resiliendi, qui mutationem passus non est. Et confirmatur adhuc exemplis: sic enim etsi unus sponsorum mutationem in bonis famæ, corporis, aut fortunæ patiatur, v. g. etsi ob adulterium interea commissum infamis fiat, vel etsi aures, vel brachium ei abscindatur; vel etsi per hostiles incursus aut incendium suis bonis spoliatur, tamen exinde non huic mutationem patienti, sed alteri solummodo parti præbetur causa pro libitu resiliendi, ita tamen, ut, si parti tam gravem mutationem passæ nihilominus conjungi velit, omnino possit, et illa conjungi teneatur: ergo si ob gravem mutationem in bonis etiam fortunæ actu jam factam resiliere non potest pars mutationem et jacturam honorum passa, casu quo eidem nihilominus adhærere velit pars altera, multo minus resiliere poterit ob mutationem, et gravem jacturam honorum primum futu-

ram, si hac non obstante eidem adhuc conjungi velit comparis.

283. *Probatur ratione.* — Ratio est, quia pars mutationem et jacturam passa non habet exceptionem contra suam compartem, sed tantum hæc contra illam; consequenter sola pars exceptione carens repellere potest partem exceptione infectam, non autem hæc illam. Accedit, quod jura ob mutationem supervenientem concesserint facultatem resiliendi in favorem partis mutationem non passæ; ergo non debet concessio in odium retorqueri: nam juxta Reg. 6, juris in 6. « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum; » retorqueretur autem in ejus dispendium, si ob mutationem sui sponsi non posset ei amplius nubere, etsi vellet, et ob specialem affectum, aut considerationem id desideraret.

284. *Et absurdis alias sequentibus.* — Confirmatur, si ob supervenientem mutationem, et jacturam actualem, vel futuram honorum fortunæ, v. g. ob futuram exhæreditionem parentum aut consanguineorum etiam pars mutationem et jacturam passa, vel passura haberet sufficientem causam resiliendi, sequerentur plura absurda, videlicet I. Quod quisvis sponsorum facile elidere posset sponsalia, simulando, aut ad tempus efficiendo se infirmum, difformem, vel quod sibi esset ablata notabilis pars bonorum; vel instigando tertium, ut intemptet minas, grave malum in bonis fortunæ inferendi, si huic nubat etc., prout consideranti patet.

285. *Absurda semper, et ubique sunt vitanda.* Sequeretur II. Et quidem principaliter ad propositum, quod, si ob minas exhæreditionis usque ad legitimam, etiam ipsa pars exhæreditanda haberet justam causam resiliendi, possent sola contradictione parentum cuncta sponsalia dissolvi, quia in quovis casu, etiam nulla alia existente causa parentes semper licite dicere possent: « si huic nubes, usque ad legitimam te exhæredem facio, » hoc ipso, quod plus quam legitimam pro relinquere non teneantur, possintque hanc exhæreditionem usque ad legitimam de jure licite et valide semper, et pro libitu facere, « per ea, quæ dicta sunt lib. III. tit. XXVI. § 14. » Quod autem hæc sequela absurda sit, patet: tum quia est contra communem doctrinam negantem, sola contradictione parentum posse solvi sponsalia juxta dicta supra n. 270; tum

quia est contra communem tribunalium praxin et consuetudinem, « quæ est optima legum interpretis, » l. XXXVII, ff. *de Legib.* videmus enim, sponso non obstante gravissima contradictione parentum ad sponsalia servanda obligari, tum quia ipsis sponsis, vel etiam aliis præberetur ansa pro libitu resiliendi, aut dissolvendi sponsalia, dummodo nempe instigarent parentes aut consanguineos, ut dicant, se sponsum exhæreditatos, si huic nubat. Absurdum autem in omnibus dispositionibus semper est evitandum arg. l. *Nam absurdum*. ff. *de Bonis*, adde ut ad evitandum absurdum etiam verba modo, quo possunt, impropriari debeant, Tuschus, litt. a. concl. 66. n. 17. Barbosa, *de Axiomat. Jur. axiom.* 2. *Absurdum*. et alii.

286. *Si pars minas patiens non posset a comparte statui conformiter sustentari, resiliere poterit.* — Dicitur autem notanter in conclusione num. 282. posita: « Si non obstantibus talibus minis comparis eam statui conformiter sustentare vult, et potest, aut pars minas patiens aliunde media adhuc habet, quæ concurrentibus mediis, et auxilio compartis ad vivendum juxta statum sufficiunt. » Si enim pars minas patiens ob futurum matrimonium suo, quem tempore sponsaliorum habuit, statu cadere deberet, et nec ipsa, nec comparis haberent media ad vivendum juxta priorem statum, utique etiam pars minas patiens justam haberet causam resiliendi, Cardinalis de Luca, *de Matrim.*, discurs. 8, n. 11, quia tunc subintrat illud vulgatum: « Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum, arg. c. fin. de Præb. » non autem præsumitur voluisse, quod alteri nubere velit, etsi ob id solum statu suo cadere deberet, sed præsumitur potius sub tacita conditione promississe: « si ob matrimonium futurum notabilis mutatio, præsertim quoad statum, non immineat: » timor enim cadendi statu est revera sufficiens resiliendi causa. Castro Palao, *de Sponsal.*, disp. 1, punc. 28, n. 4. concordant dicta n. 264.

287. *Observatio practica quoad hoc.* — Limita tamen præced. num. doctrinam in casu, quo pars minas patiens, eas tempore sponsaliorum prævidit; præsertim si eas in pactum deduxit, juxta dicenda infra n. 293. Porro quandonam una pars ob futuram exhæreditionem statu cadere censeatur, regula certa dari non potest, sed ut bene ob-